

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Festing

**Joannis Festingi, Iur. Doctoris & Professoris Ordinarii Megapolitani Oratio, De  
Iudice Imperito, habita An. MDCLXXXII. Cum inciperet publice interpretari  
Institutiones Imper.**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1682

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740054163>

Druck    Freier  Zugang



Morphaeum Röder

R U j u r 1682

Johann Festing *ht*  
*c*



3

JOANNIS FESTINGI,  
Jur. Doctoris & Professoris Ordina-  
narii Megapolitani  
ORATIO.  
*De*  
JUDICE IMPERITO,  
*habita*  
*AN. MDCLXXXII.* *1682*  
Cum inciperet publicè interpretari  
Institutiones Imper.

---

Gregor. Biccius JCtus Argent.

*Dispereant fungi, qui legum dogmata spernunt  
Et passim arbitrii libera jura crepant.  
Judicis arbitrium fragile est & flexible, vani  
Dum cerebri præfert somnia quisque sui.  
Est lex scripta salus populi, immo est regula veri,  
Justitia norma est, & cynosura boni.*

---

ROSTOCHI,  
TYPIS JOH. WEPPINGII, Acad. Typogr.

JOANNIS FESTINCI  
In Dogonice Professore Obiti  
usq; Medicis

ORATIO.

JUDICE IM  
PERITO.

Universitätsbibliothek Rostock  
Gesamtkatalog der Deutschen  
Universitätsbibliotheken

Universitätsbibliothek Rostock

Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock

Universitätsbibliothek Rostock  
Universitätsbibliothek Rostock

# ORATIO DE JUDICE IMPERITO



Uerula non potest non,  
esse mens humana, qvæ cor-  
ruptam contemplatur indolem &  
proclivem ad mala progeniem. Adeò  
homines deseruerunt innata jura, &  
cognitionem, qvâ natura suos socia-  
vit filios, impiâ violarunt mente!  
qvandoqvidem nulla qvies, nulla vitæ  
possessionumq; est securitas; sed furtis, rapinis, cupiditati-  
bus, crudelitate, superbiâ, scelere, audaciâ, cunctas ver-  
teres societates allaborat fæx hominum tot, tantis, tamq; vœ  
nefariis sceleribus cooperta.

*Sceler a dempto fine per cunctas domos  
Ire; nullum caruit exemplo nefas.  
Afratre frater, dextera nati parens  
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,  
Perimuntq; fætus impia matres suos,  
Taceo novacas: mitius nibil est feris.*

Rectè, mitius nibil est feris: nam diu superarunt homines  
luporum rapacitatem, leonum feritatem, tygridis rabiem:  
& qvam non belluarum immanitatem? Hinc remedio  
opus contra vim gravitatemq; hujus morbi, qvem per du-  
ra atq; aspera coercere adinvenerunt sapientes: partim  
qvoq; custodire civitatem ab omni privatorum violentia,  
injuriis, & iniqvitatibus, summo connisi studio, saluberri-

A

mis

mis demum effecere legum præsidiis, ut tutæ & tranqvillæ  
redderentur domus civium & possessiones: improbi in offi-  
cio tenerentur, & cupido impunitatis malignis obviaret co-  
natibus. Sed tametsi salus reipubl. legum munimentis satis  
sit firmata, cum certissima boni habeant solatia, auxilia infir-  
miores, & potentes frena; attamen suppressa scelera miras  
per artes rursum oriuntur periculosè in publicum, nî custo-  
des legum adsint diligentissimi, qui succurrant bonis, & pœ-  
nis malos meritissificant: Judices puto, qui justitiae Sacer-  
dotes æqvum ab iniquo, licitū ab illicito separent, vivi mu-  
tæ legis magistri & optimi executores. Circa hos autem con-  
stituendos prima reipubl. cura esto, qvos legi ex eorum  
decet numero, qui periti legum atque æquitatis, diu didice-  
runt judicandi artes, norunt vulnera rerumpublicarum, &  
salubria ipsis remedia. namque si ægrotus horreat medicum,  
qui ignorat causas affectionum corporis humani, & nescit  
dolores pellere medelis salutiferis: multò minus inde so-  
cietates qværent vitiis antidotum, ubi nil nisi evacuatæ the-  
cæ absque oleo & pharmaco. Sed cheu! qvantacunqvere-  
rumpublicarum pars Imperitos qvandoqve ad subsellia e-  
vexit judicū, arcem ex cloaca fecit, ut habet adagium: cum  
ad rerumpublicarum clavum evehi in præmiis iis merito  
tribuatur, qui studiis benè functi, denuò digni judicati, aliis  
præesse, securitatemque publicam tueri & privatam.  
qvandoqvidem benè ac sapienter majores, inquit Symma-  
chus lib. 1. Ep. 20. ut sunt alia etatis illius, aedes Honori atque  
Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti, ibi esse præmia ho-  
noris, ubi sunt merita virtutis. Sed enim preterea etiam (per-  
git vir Consularis) Camænarum religio & sacri fontis adver-  
titur, qvia iter ad capessendos magistratus literis promovetur.  
Miror eqvidem, tales esse aliquando seculorum mores,  
ut indignis dignitates tribuantur, luto ornamenta: perso-

na

na Herculis infanti & cōthurni adaptentur. adeō subsellia  
sæpe judicum occuparunt Bœotica ingenia, qvæ creavit Ly-  
dia arena, non scientia, qvæ sola est legitima judicis creatio.  
Scilicet patet qvoqve janua dignitatum atqve officiorum,  
pecunia Deūm potentissimæ, patet inquietæ temeritati,  
& siqvos injustitiæ patroni ducant; ast virtuti omnis tunc  
obstructa via. Certè eos demum ab avaris fructus in Rem.  
publ. redundare eernimus, ut licitatoribus omnem dignita-  
tum pabant aditum, virtuti nihil tribuant honoris, etiam-  
si unicum sit ipsius præmium. Namqve non tam plum-  
beos reperias homines & Torpedini simillimos, modò ar-  
cam habeant & Gygis opes, nec deerit, qvin suppacta auro  
nanciscantur judicum subsellia. itaq; hac venalitate (qvam  
neqvitiæ principium & finem dicit noster Justinianus *Nov.*  
*constit. 8.pr.*) onusta auro mancipia protrudi ad tribunal suo  
patimalo cogitur civium corona. Qvinimò etiamsi judicis  
honorem alii Candidati positis in medio mensis haud nun-  
dinentur, qvod olim in Republ. Rom. factitatum legimus,  
seditionis tamen machinationibus ita premunt civitatem  
& senatum, tumultus concitant nefarios, & sic quasi ca-  
pulo gladii ostendo, qvem sub hac sua tegunt togā, nisi fece-  
rint alii, hunc facturum minitantur. qvapropter qvi pren-  
sando sæpius non possent, minitando & terrendo voti fiunt  
comptes, & ne plebem amplius incendant, neve operarum  
ad vim & seditionem manus emtas moveant, designan-  
tur magistratus, Judices, quamvis ne tria quidem Stesicho-  
ri noverint, ut habet adagium, stupidi & insulsi, ignari le-  
gum, hæsitanter in majorum institutis, rudes in omni jure.  
Accedit (ō portentum in ultimas terras deportandum!)  
quò magis impunita sint facinora, & contemtor æqui abs-  
qve cura possit vendere judicium, Briarei manus cunctis ci-  
vium facultatibus injiciens: hic qværit, poscit, & assumit

A 2

adscri-

adscriptorē malorum pēssimum, sine ulla bonaarte, si-  
ne humanitate, sine ingenio, sine literis hebetem at qve im-  
politum. etenim nonnescit malus judex Themidis sacræ ter-  
merator, fore, ut auctoritatis robore opprimatur fatuus, &  
facilior plumā motus pendeat à peritioris nutu, ipsi-  
us omnem admiretur vocem, postremò summam rerum  
uni deferat, relicta sibi sola obsequi gloriā. Alias, quibus  
tendunt tribunalia imperiti, vias nescire mallem, qvām li-  
terarum infortunium enarrare & ingloriam imperitorum  
gloriam: qvanqvam fraudes, quibus sua auferatur virtuti  
gloria, ex cogitentur plurimæ. Etsanè, ut plures siccō (velut  
ajunt) pede nunc præteream; utinam neqve Veneri in curiis  
aræ statuerentur ipsiqve sacra fierent! Sed peregrina Dea (ut  
ex nomine Romanis dicta vid. *Scalig. ad Fest. in voc. aperta.*)  
nostras qvoq; visitavit oras: inuenit, qvi adorent, ipsiusq;  
numine aucupentur munera in Senatu atq; Curiis. Et (proh  
dolor!) oblata Veneri sacrificia dant uxorem, uxor dignita-  
tem, in Astrææ Palladisq; summam ignominiam, quarū fri-  
gent aræ. Apage, mala imperiti judicis initia. Ab hoc autem  
quid immineat reipublicæ, videamq; A.H. Vosmet verò meæ  
dicentis favete linguaæ. Sane qvis est, qvi istud apertissimis nō  
conspiciat oculis: qvandoqvidem si qvod aliud, certè jus di-  
centis munus exigit exactam literarum atqve legum periti-  
am. etenim à funesto Adami lapsu deflexa adeò ac deprava-  
ta sunt à rectâ ratione & veri intellectu hominum in genia,  
ut in tetricis qvâsi tenebris & caligine nihil non offendant,  
nusqvam non incurvant. Scilicet etiamsi naturalis æqui  
neqve omnis evanuerit scientia, sed remanserit qvædam  
ejus qvâsi particula: corrupta tamen mansit, obscurata atq;  
fragilis, & veri juris germanæq; justitiæ effigies solida & ex-  
pressa nulla, sed umbra & imagines non absq; pravitate &  
errore. Adhæc qvis nescit juris naturalis generalitatem, (ut  
ajunt

ajunt nostrates) ex cuj<sup>s</sup> fonte conclusiones rectae rationi per  
omnia accommodatas efformare, laboris & erroris plenum  
opus? qvis nescit occurrentium in civili vitâ actionum mul-  
tiformem varietatem, qvæ pleniorē ac planiorem justi &  
injusti determinationem postulant? qvis demum nescit ju-  
dicum corruptelas, qvarum tria sunt genera, qvæ præ cere-  
ris etiam prudentum omne judicium subvertunt, teste Jo-  
hanne Episcopo Cartonensi, quem Sarisberiensem (ne-  
scit Barthius, an bene) vulgo vocant, *in Policeratiko*:  
nempe amor munerum, acceptio personarum, facilitas  
credendi. Hinc qvoqve leges ortæ, qvas oportet esse cy-  
nosuram, ad qvam in hoc oceano periculo regere cur-  
sum judices & tenere possunt. Et velut architectus qvic-  
qid rectum, qvicqid non, appensâ experitur regulâ: sic  
juris regula debet rectum separare atqve pravum, jus  
cuiqve suum tribuere, æqvalibus æqvale, qvod esse opor-  
tere dicit Philosophus lib. 3. Polit. c. 8. Hanc cynosuram ita-  
que, hanc regulam judicibus ē manibus ne eripe: Judex in  
administranda republ. leges ne antecede, sed sequere; mo-  
net Æschines contra Ctesiphontem. pag. 19.

*Jura Senes norint, & quid licetq; nefasq;  
Fasque sit inquirant, legum examina servent.*

cecinit Ovid. 9. Metam. f. 7.

Vos autem Judices imperiti, ambulate, si videbitur, in jussi-  
dicite causam. Qvis vestrūm suo fungi poterit officio,  
cum judicium sit terminatum legibus atqve definitum, ve-  
straqve vis non sit regia majestas, sed legum custos regisque  
ministra, qvod ait Plato in Politico p. 559. Cernite, qvam  
fragile sit argumentum vestræ ignorantia, qvod in naturâ  
solâ omne ponitis, & sic pleno ore sapientius gloriamini, dum  
qvisqve vestrūm putat hanc sufficere, omni litium deci-  
sioni, explosâ Jurisperitorum arte. Certè rationis natu-

A.

ralis

ralis propter causas jam allatas non semper usum esse integrum , novimus ; tum multis demum exercitationibus, id est, literarum studiis igniculos excitari doceor, qvos reliquit summi Numinis providentia lapsu penitus non depravatae & corruptae hominum naturae . qvippe ars naturae commoda confirmat & auget: implet, qvod naturae deest, qvæq; bona non sunt optima acuit & corrigit: id quod est effatum Oratoris & Philosophi utriusq; principis. Ceterum imperitis terræ filiis dari ex instinctu rationis, qvem sibi somniant, justum atq; æqvum unicuiq; reddere : idverò est , de qvo vehementer dubitē. namq; prudentissimi, inquit Alex. ab Alex. gen. dier. l.3.c.5. sepe labuntur ing, diversas eunt sententias, cū & magna sit mentis humanae imbecillitas, & infinita negotiorum varietas. Qvinimò qvis adeò excellenti unqvam fuit animo & ingenio , tantâ eruditionis copia, tamque eminenti naturae habitu , ut omnem unus æqvitatem & juris rationem in pectoris sui scrinio gestasse nobis videri queat ? qvis unus solus gentium multarum scita, Lycurgi Lacedæmonis, Solonis Atheniensis, aliorumq; ve instituta; qvis Romanorum Leges, Plebiscita , Senatus consulta, Principum placita, Magistratum Edicta, Responsa prudentum, Ulpianorum, Papinianorum, Hermogenum, aliorumq; ve suo superasse cerebro, nisi mentis in opere videatur? Solum (nisi falor) jus Romanum stulto , modò haud omnem is abjexit verecundiam, excutiet ruborem talia profitenti. namque id ex variis aliarum gentium placitis compilatum , qvidnam exhibet aliud, qvām leges optimas & justissimas, à remotissimis planè seculis quasi per propaginem ad Romanos derivatas: inventa societatum: & si unius hominis, saltem ejus, qvi Philosophiâ, scientiâ omnium literarum, & prudentiâ civili esset celebratissimus, qviq; ve non de plano & velut aliud agendo responsum dede-  
rit

rit, sed desudaverit superinde dies noctesque, mutumque olei & operis impenderit. Abeant igitur boni viri, qui indocti licet atque imperiti, imò veræ rationis nescii, inane putant omne legum studium; discant, esse satius, artis sequi ductum, quam suum ipsius proprium. judicium, quod de Medico pronunciavit Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 15. Certè res præclara est & omnino retinenda, jus civile, ut quidem Consul & Orator Romanorum magnus pro Cæcina dixit. *quod enim est jus civile*, quærit Parens eloquentiæ; & respondet ipse prudens, doctus, & peritus, *quod neque inflecti gratiâ, neque perstringi potentia neque adulterari pecunia possit.* Eapropter, o optimam Superiorum curam, si custodes legum eligant peritos! quandoquidem Cassiodoro teste gloria regni est, reperisse judices exquisitos, qui judicia constituant delubra æquitatis, cum alias sint ista depravata foveæ fallaci haud dissimilia, ut ait Ammianus lib. 30. etenim quis nescit, unumquemque ea demum rectè judicatum, quæ cognoverit, & in quibus fuerit eruditus, auctore Aristotele Philosopho, ut sic operam dare beat futurus judex, quod legum constitutions ante omnia discat, & mente firmiter teneat, quod ait Plato lib. ult. d. LL. Agite A. H. animos in hac una contemplatione desigamus, quod vix dum negligat, qui novit æquitatem, nec facile erroris vitio sordecat, quem doctrina purgaverit; quin si quem minus lateat, quid deceat aut obstringat, minimum neglecti ipsum pudebit officii. Nec officit eruditioni, etiam si sint, qui male abutantur, & leges pro libidine torqueant: quia isthoc vitium est hominum improborum, haut legum & eruditionis, quas non meliori modo potest quispiam vituperare, quam si vellet robur atque fortitudinem criminari, quia obvium robustus verberaverit. E contrario vero quid proderit reipubl. im-

peritus

péritus & insolitus judex? qvod enim primum est & potissimum, nescit, nosse, qvod suscepere. ut ea propter meritò sentiamus cum Arnisæo : si Q. Mutius versus Servium Sulpitium rectè illo fuit usus sermone: Turpe est patricio & nobili viro, jus, in quo versatur, ignorare l. 2. ff. d. O. J. quantò melius posset increpari judex, cuius ædes, ut volebat Cicerò l. 1. d. LL. tanquam oraculum adiri debent. Sed discutiam⁹ judicium imperitorum judicia, qvibus citra legum normā cives regere & dirimere controversias satagunt imprudentes. Hoc scio ex Philosophorū monumentis, erroris matrem esse ignorantiam, qvā qvod vident, id non vident illiterati, similes peregrinis : hi enim qvem admodum in viis, sic indocti in rebus ipsis s̄epius aberrant. Ecce, inter bonum atqve malum suo agitatus arbitrio, eccui parti annuat judex imperitus & indoctus? h̄aret aqua, ipse media (qvod a⁹junt) agi næ æquilibrio fertur impetu.

*Claudicat incessu pedibusque vacillat utrisque.*

Scilicet qvia non à coecis longè differt, cum perspicuum nullum habeat in animo exemplar, neque possit tanquam pictor ad exemplar verissimum respicere referre que ad illud, & ipsum quā accuratissimè contueri. Agedum, effigiem ipsam figuramque judicis nostri imperiti uno quasi penicillo ductam atque expressam exhibeo.

*Incipe Calliope, licet & confidere. non est  
Cantandum, res vera agitur, narrate puelle  
Pierides.*

In agro Bononiensi (refert Zvingerus in theatro vita humana vol. 7. lib. 1. p. 1650.) oppidum est, Medicina dictum. Missus eō Præfectus litem audiebat duorum. Creditor pecuniam creditam exigebat. Præfectus truculento vultu: Quid ergo reddis, debitori inquit. Debitor, At vero reddidi, respondit. Judex ad creditorem, Annon ergo

ergò tē mendacii pudet? Creditorē probationes se allatūrum affirmante, debitorem summopere objurgavit. Ac debitore contrarias pollicente, creditorem modō non dis̄is devovit. Tandem multis ultrō citrōqve verbis com̄mutatis, Ultraqve pars, inquit Præfectus, & victrix est & victa: proinde abeatis licet. Profectō dignus judex, qvi vixisset veterum aetate, nam sine dubio Midæ insignia & ipsi indulsisserint: qvippe neqve melius unqvam ad tales judices ornamentum devenire potest. Sed plura huic vanitati junguntur mala. Scilicet dum judex imperitus sentit, non cuiusvis esse, manu pulsare lyram, nec ipsius esse, ponderare causam justamqve ferre sententiam, non respicit ad actoris postulata, neqve audit, qvod respondet reus; sed

*Solvitur in somnos oculis de aut pectoro noctem*

*Accipit.*

Ad qvam somnolentiam redarguendam scitum est, qvod de dormiente sextur judice, qvi cum à Præside excitaretur, ut sententiam diceret, semiomnis dixit: *Decolletur. At agitur de prato, respondit Prætor. Ergo defaletur, insqvit judex.* Valent. d. Valent. Partben. litig. l. I. c. 12. n. 24. Eheu! ignorantia judicis plerumqve est calamitas innocentis, qvod ait Augustinus de Civit. Dei l. 19. c. 6, metuendum qve, ne per errorem pro albo atrum calculum injiciat insultus judex, etenim non dilectu aliquo aut sapientia ducitur talis judex ad judicandum, sed impetu nonnunqvm & qvadam etiam temeritate. Sic Claudiūm Cæsarem, refert Svetonius Tranquillus proclamante qvodam, præcidentas falsario manus, carnificem statim acciri flagitasse cum machæra mensaqve lanonia. turpi sanè atqve pessimo exemplo, inauditum atqve indefensum condemnare, & reum fuisse sola declarare poenā.

B

Pone

Pone crucem seruo, meruit quo criminis seruos  
Supplicium? quis resiliis adest? quis detulit? audi.  
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.  
Ceciniregriè Juvenalis Satyr. 6. v. 218. Sed verissimum  
est, qvod apud Comicum Senex Mitio in Adelphis dixit: Ho-  
mīne imperito nihil quicquam in iustius, qui, nisi qvod ipse  
facit, nihil rectum putat. Horreο nefanda iustitia lemi-  
na & barbarem imperiti crudelitatem; adeo in iudicio præ-  
primis criminali sibi vulgo errores committuntur.  
Negligitur (qvod æquitatis & iustitiae optimus Sacerdos  
Brunnemannus detestatur in Process. cap. 1.) responsio rei;  
plerumque vero rei defensio omittitur: circa testes raro  
inquiritur, an sint inquisiti inimici, non interrogantur de  
causa scientiæ: & multi alii errores passim deprehenduntur.  
Eqvidem quid dicam de occultis criminibus, ubi quantò  
cautiùs de jure procedendum, tanto major judicis imperiti  
cernitur temeritas? Scio similes ægrotis esse judices ma-  
los atq; imperitos, qyi vel omnino sibi videntur sani, vel me-  
dicum opitulari cupientem invadunt: qvod in phreneticis  
& lethargicis experuntur Medici. Namq; si quis forte-  
an meliora moneat vel Collega vel Assessor vel alius qvispi-  
am juris peritus, amicæ huic admonitioni reclamat in-  
doctus, videtur sibi tanquam de cœlo sapere, & sus  
Minervam informare non erubescit. Adeo rudis & indos-  
cius effreni suo sensu fertur, ut equus indomitus! de quo  
ita Nicephorus Gregoras l. 9. Si qvid aliarum, inquit, re-  
rum, insectia utique efficacissima est ad qvidvis persuaden-  
dum hominibus levibus & superciliosis, qvæ ad inconsul-  
tam temeritatem eos impellit, & ad qvidvis sine consilio  
suscipiendum invitat, si forte levibus eorum cogitationi-  
bus insedit.

Nunc quo quis ex plebe fermè indoctor  
Auctoritatem assumit arrogans

Diju-

Dijudicandi in rebus obscurissimis:  
Et pertinaci (quod ferè ignorantia est)  
Animo tuctur dogma susceptum semel,  
Nec interim quo expendit examine  
mala  
An recta sint, quæ pertinaciter tenet.  
Sed cum inter omnes maxime cecutus  
Cecus, videntes cecitatis arguit,  
Ut cui perusta febre fervent viscera  
Amar a cuncta credit, unumque autem  
Se sapere, cum desipiat unus maximus.

Scripsit elegantissimè Historicus & Poëta Georgius Buchananus.

Qy nimò, o pectora exca! adversus omne eruditum  
Scriptum sive dictum porcorum in morem ruunt, ac pul-  
eras veritatis & legum margaritas temere conculeant.  
qvos eapropter tygridi comparandos non incommode di-  
xit Plutarchus in Moralibus; ut enim tyrides ( qvod fe-  
runt ) si qvis tympanis circumsonet, in rabiem aguntur,  
adeò ut se ipsas deniqve discerpant: ita hos offendit judices,  
qvod aliis reddit animum, np. doctrina legum atqve lite-  
tarum. De affectibus imperitorum Judicum non dis-  
seram, præ quibus verum prævideri nequit, nec institui  
res consilio & cogitatione. Qvorum etiam intuitu qvid  
ab imperito boni sit sperandum, in aprico est: nervi enim  
sunt affectus atqve funes ingeniti, qvibus qvisqve alligatus  
æqve ac passerculus volaturus in terram detrahitur, nisi li-  
terarum, sapientiæ & legum studio liberetur mens huma-  
na.. O unicum igitur bonum scientia: inscitia malum uni-  
cum ! qvo Socratico imperitorum judicum proseqvor  
judicia. addo, qvod Colluthus Thebaeus Lycopolita in  
præ iherc dñiayns i. e. de rapto Helena scripsisse fertur à Gre-  
gorio

gorio Tholosano *Syntagm. jur. Civ. l. 47. c. 10. n. 9.* judicium  
Pastoris Paridis turbasse mare & terram, videlicet judi-  
cium ignari hominis: Sic n. turbant imperiti & indocti  
Judices statum civitatis publicum & privatum. Attamen  
hoc frequens malum esse quis non videt? ut judges sub-  
sellia occupent, ignari legum atque literarum, qui con-  
fusè omnia sine lege judicant, sine certâ consuetudine,  
sine ordine & stylo, transigentes, mutantes, alferantes,  
sordidantes, quod ait Valentura de Valent. *Partben.*  
*litig. l. 1. c. 12- n. 30.* Verum qvæso, an unius vitium seculi,  
ut indoctos & indignos provehant ad dignitates atq; judi-  
cium subsellia? Erramus, si putamus: nam alia fuit  
ætas, qvæ nec vacuit à culpâ. *Senec. Epist. 117. pr. De A-*  
*theniebus* proditum memoriae, eos in tanta sapientiae  
optimarumq; rerum abundantia ob imperitiam censu-  
ram meruisse atque notam, etenim plerique Athenarum  
Cives reipubl. tenebant clavum, qui per imperitiam stulta,  
civibus & reipublicæ perniciofa, multaque inconsulta de-  
cernebant, tantâ temeritate, ut in proverbium abierit,  
adèo teste Isocrate iisdem de rebus, eodem die non ea-  
dem decernebant: qvæ domo egressis damnabantur, ea  
ipsa inconcione probabant, & domum regressi, qvæ decre-  
ta erant cavillabantur. qvos ignorantiae fructus mortem rei-  
publ. Atheniensium parasse, qvis noviscum non credi-  
ter? Egregium itaque fuit illud Antisthenis, qui judi-  
cium Atheniensium in creandis magistratibus (judicibus)  
notaturus, suadebat eis, ut asinos ad arationem deligerent.  
Qvos cum illi negarent huic operi idoneos, Atqui, ait ille,  
nam satis est vobis magistratum (judicem) elegisse, sive  
aptus sive ineptus sit vir ille ad res gerendas. Respicite for-  
tunam Romæ; hæc non minus, sed invita imperitorum  
audiit sententias: etenim fuit lex Antonia, quam tulit M.

Anto-

'Antonius cum C. Julio Cæsare, ut tertia judicum decuria ex  
Centurionibus, Antesignanis, Alaudis, Manipularibus fieret  
teste Cicerone *Philip.* I. 65. *Add. Sueton.* in *Augus.* Quidam  
ex solo censu, non doctrina & legum atque juris  
scientia lectos fuisse judices, testis est *Plin.* lib. 14. in pro-  
em. Veruntamen ut corruptæ reipubl. hæc fuerunt tem-  
pora: Sic Regina rerum Roma victrix Asiae Europæque  
meliora orbis dedit exempla, quando judices in verbis legum  
jurare jussit. quam postea reip. bonam sortem auxi-  
gunt Principes Alexander Severus, & cuius nomen no-  
bis debet esse sacratissimum, Justinianus in Nov. 85.  
Ab his sane laudatissimis Institutis haud recesserunt Pa-  
trum Patriæ Impp. Romano-Germanicorum constituti-  
ones: sed Imperator Cæsar Carolus V. pius, felix, incli-  
tus, vicit ac triumphator ægræ tulit imperitorum judi-  
cum judicia, eosque penitus voluit abarcendos. cuius  
verba cedro digna legimus in proœmio constitutionum  
capitalium, & in his ipsis Constitutionibus cap. I. Idem  
constitutum ordinatione Politica Imperiali Spiræ promul-  
gata An. 1570. ubi, ne injuriam patiantur subditi, judices  
inferiores atque aulici ex eorum numero jubentur eligi,  
quilegum & juris polleant scientia. Sic prostat odium ad-  
versus imperitiam; recte: nam in avertendis malis laborasse,  
quæ ex eadem in rem publicam redundant, Regis officium  
est. O Principes gloria & laude dignos, qui imperitiam con-  
culcant, & omnem movent lapidem, ut dignis digna con-  
ferantur munera. Macte consilio & sapientiâ Principes  
Patres Patriæ, qui seminaria constituerunt inclita, unde  
prodeant, qui justitiae litent, & salutem foveant Prin-  
cipatum, rerumque publicarum. Macte sapientia Prin-  
cipes, qui conservant Academias legum peritorum judi-  
cum nutrias, luculentissima indulgent beneficia & præ-  
mia, quibus gallicantur teneri juvenum animi.

Vos

Vos autem A. H. Vos mea nunc compellat oratio. Perpendite. dulcissimi Commissiones, gloriosissimorum & benignissimorum nostræ Academiarum Patronorum pium scopum. perspicite Superiorum vota, & parentum spem de vobis captam luculentissime, nimisrum: ut toto opere legitimo perfecto (quod ait noster Justinianus) possit etiam res publ. in partibus ejus vobis credendis gubernari. Omni vestra cura, opera, diligentia providete, ut assideat vobis propria & exercitata doctrina: arcana regia, principum, & rerum publ. fideles accipiatis, & juris periti judices literatam reperiatis dignitatem. Vester honor imperitis sit opro proprium, vestraqve conscientia eo lætior, quæ provehitur meritis, quanto magis sub reatu jacet, qui se imparem cognoscit muneribus consecutis. Ut rescripsit Athalaricus Rex Felici Qvæstori. extas ap. Cassiodor Var. lib. 8. Evidem sub initium hujus meæ Professio-  
nis antehac pollicitus fui, ut quidem munieris clementissimè collati ratio exigit: me fore comitem studiorum & ductorem indefessum. Ergo (favit Deus, ut feliciter!) promis-  
si semper memor publicas Lectiones aggredior. Freqven-  
tes vos adeste, quæso A. H. & excitabor. altè ex vestro stu-  
dio. Id verò ut moneam omnino videtur opus esse, sc: apud  
me non fore Mensam solis, quacum aliorū doctrina com-  
parari potest. sed qui exoptat minutal aliquod & frugi & Py-  
thagoricum, meas petat ædes. Ego summa tamen opè  
curaque nitar, ut utilia vobis proferam, & officio meo  
quantocunque tempore satisfaciam pro demerenda vestra  
attentione, benevolentia, favore & amore; vestramq;  
eruditio nem, meam gloriam reputabo  
sempiternam.







*Dijudicandi in rebus obscurissimis:  
 Et pertinaci (quod fere ignorantia est)  
 Animo tuerit dogma susceptum semel,  
 Nec interim equo expendit examine,  
 mala  
 An recta sint, que pertinaciter tenes.  
 Sed cum inter omnes maxime cæcitas  
 Cæcus, videntes cæcitas arguit,  
 Uli cui perusta febre fervent viscera.  
 Amar a cuncta credit, unumque autem  
 Se sapere, cum desipiat unus maximus.  
 Scripsit elegantissime Historicus & Poëta Geor-  
 nanus.*

*Qvinimδ, o pectora cæca! adversus omni-  
 scriptum sive dictum porcorum in morem ru-  
 cras veritatis & legum margaritas temere  
 qvos eapropter tygridi comparandos non inc-  
 uit Plutarchus in Moralibus; ut enim tygride  
 runt) si quis tympanis circumsonet, in rabie  
 adeò ut se ipsas denique discerpant; ita hos offe-  
 qvod aliis reddit animum, np. doctrina legun-  
 tam. De affectibus imperitorum Judici-  
 seram, præ quibus verum prævideri nequit,  
 res consilio & cogitatione. Qvorum etiam  
 ab imperito boni sit sperandum, in aprico est:  
 sunt affectus atque funes ingeniti, qvibus qvisco  
 æque ac passerculus volaturus in terram detra-  
 terarum, sapientia & legum studio liberetur i-  
 na... O unicum igitur bonum scientia: inscitia  
 cum! qvo Socratico imperitorum judicun-  
 judicia. addo, qvod Colluthus Thebas L  
 pr. idem agnoscit i. e. de rapsu Helene scripsisse*

B2

